



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Dos Tertia. Fortitudini in exequendo jungenda suavitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

rundam Sensualistarum principium ; quod (si equi duo non jungantur currui, & præter motivum supernaturale ad laborandum impellens, non adsit temporale, fomenta scilicet) detrectandum sit onus, quod imponitur. Videant illi, ad quos attinet, quid in ordine ad vires laborantium refocillandas aut confortandas conducatur : ego, qui necdum vibices, stigmata, vulnera Ducis mei JESU Christi in corpore meo porto, &, prò dolor ! tam parùm hæcenus pro DEI gloria & animarum salute pertuli, imposterum saltem sciam abundare, & penuriam pati, exuam imbellem nimis ac sensualem genium, nec degenerabo à præcellis cogitationibus filiorum DEI.

D O S T E R T I A.

*Fortitudini in exequendo jungenda
suavitas.*

Tertia proprietas Divinæ Sapien-tiæ & Christi Archistrategi nostri est, quòd fortitudini in exequendis necessariis ad salutem hominum mediis adjunxerit mansuetudinem, adeoque eò certius ac constantius finem intentum obtinuerit. Nihil est magis in Viro Apostolico, pro redu-cendis hominibus in viam salutis & perfectionis, necessarium, quàm solidus ac stabilis in eorum animos dominatus. Hic autem nullatenus, cum nullum violentum sit perpetuum, acquiri potest à viro utcunque generoso ac forti, nisi per-

per adjunctam suavitatem, ac genuinam, non fucatam aut affectatam, mansuetudinem. Evangelista mansuetudinem Christi adumbrare volens Matth. 22. adfert textum ex Isaia c. 42. sequentem: *Ecce puer meus, quem elegi; ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, arundinem quassatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet.* Ad eò nimirum condescendet oblocutioni, oppositioni, convitiis, altercationibus hominum ingratorum ac brutorum, quorum salutem quærit, tantæque ejus erit erga ipsos benignitas, ut non videatur ausuruselevare vocem, ne exacerbet, non calcare arundinem semifractam, ne ingratum strepitum excitet, non lucernam extinguere, ne fumi odore præsentibus molestiam creet: & qualis tua corporis ac mentis est compositio? Dum vis operari aliquid in bonum proximi, & oppositiones pateris, effervesces, clamas, contorques oculos, rugas induis, premis labia, dentibus frendes, manibus pedibusque tremis, aut terram pulsas; & adhuc justo te zelo armatum putas contra delinquentes & contranitentes, sed toto aberras cælo. Genuinus secundum scientiam zelus talis non est indolis; frustra culpam indignationis tuæ in pravos aliorum mores conjicis, totum malum in te residet, quia, si inordinatarum affectionum tuarum dominus esses, patienter ferres; quod emendare non potes, & si potes, in lenitate spiritûs adferres remedium, & sic, dum alium cum in-

F

de-

decente effervescencia corrigis, ipse correctione dignus non apparet, esses etiam tibi magis præsens, & aptus ad invenienda remedia, quibus malum, quod bilem tibi movet, à corde proximi, vel etiam tibi subjecti efficaciter propulsares. Ira enim (cùm sit, quamdiu durat, insania) & rationem obtenebrat, & mentis vigorem virésque extenuat, ut jam non fortis in militia Christi Athleta, sed debilis, fungus ac fucus appareas. *Irascimini*, ait Scriptura, *& nolite peccare*. Peccatum non aberrat, nisi dum crudâ acerbitate eliminatâ remedium malo adfert *mansuetudo & lenitas spiritus*. Gal. 6. Nullus hominum magis peccatum odisse, ejusque infinitam malitiam melius agnovisse potuit, ac Christus Dux tuus; & hic tamen (licet justam DEI iram subinde minatus sit Pharisæis & Hypocritis, generi hominum, sincerissimo suo cordi, maximè invisum) benignum se semper ac placabilem peccatoribus exhibuit. Increpavit Discipulos Luc. 9. ignem de cælo contra impios deposcentes dicens, hunc non esse spiritum suum. Malco aurem amputatam benignè restituit corrigens Petrum, qui in evaginatione gladii justam Magistri sui defensionem putabat consistere, & pro *transgressoribus*, tam acerbis hostibus suis æternum Patrem suum deprecatus est in Cruce suavissimâ illâ oratione (*Pater dimitte illis, non enim sciunt, quia faciunt*) quæ adamantina emolliat pectora. Hæc mansuetudo gentilem convertit Centurionem in Cruce, & cæteros inde revertentes mo-

vit ad percutienda pectora sua. Hæc benignitas tot inveteratis lachrymas excussit peccatoribus. Hæc suavitas efferatis tygridum adinstar hominibus cœlum implevit. Semper ergo, & maximè, dum in procinctu es ad media, quæ ad conversionem hominum maximè congrua prævio delectu excogitasti, exequenda, auribus animoque tuo insonet illud Ducistui; *Discite à me; quia mitis sum & humilis corde.* Atque illud demum inconcussum tuum sit à juventute principium, illum verè ac propriè in Christi militia fortem esse, qui fortitudini isti, quæ nulli humano respectui, nullis laboribus, ærumnis, tædiis, adversis in DEI causa cedit, adjunctam habet mansuetudinem, quâ & suum & aliorum animos tranquillos ac obsequentes reddit, instar olei unctionisque sancti Spiritûs suaviter influit, & hominum corda, quocunque vult, inflectit. In ejusmodi hominibus prudentibus, fortibus, mansuetis, sive Concionatores sint aut Operarii, sive Professores aut Superiores, fiduciam suam collocat Societas. Dum ejus famam dilacerare, divinæque gloriæ maximè obesse potest, qui vel tumultuariè & inconsultò negotium aggreditur, vel sua, non quæ Jesu Christi, quærit, vel quasi Toparcha in Pietz aut Marocco iis, cum quibus agit, dominari in spiritu acerbiorè vult, quos in spiritu leni ac submisso tractare gestiunt supremum Societatis Caput, præcipuâque ejus membra.

Atque hæc unâ cum præcedentibus animadversionibus sunt, quæ à juventute imprimi nostris desidero, & cum primis in tertiæ probationis anno unâ cum illis, de quibus in animadversione sexta de conversatione tanquam ministerio Societatis differui, bene digeri. Qui enim tertiæ probationis anno consummato solidis non obfirmavit animum principiis, vitæque Apostolicæ fundamentum posuit, sui Dominus, rarò expòst Apostolus fiet, sive Religiosus talis, qualem Instituti nostri ratio expòscit.

Reflexio de Melancholicis.

DUm peropportunâ occasione datâ animadversiones has meas, & præprimis sextam & septimam Viro cuidam prudenti ac religioso sed à natura melancholico, prælegerem, & ulterius ruminandas offerrem, reposuit is mihi post tempus aliquod, morem his geri posse bene natis, & felicem sortitis animam, sed non ab iis, qui atrâ abundant bile, nec de his mihi posse quidquam statuere: cum moralis istius morbi experientiam non habeam. Contentum disputationis nostræ amicæ, ipsius & mea postulata, & quomodo utrimque in hoc vel illud, condescendendo, tandem in systema aliquod statuendum convenerimus, hîc subnecto, postulata ipsius generatim hæc erant: *1mo* juxta illud Script. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*: nec naturam, nec ejus naturale temperamentum homi-

homo sibi ipsi dare potest, nec à DEO acceptum in aliud transmutare. 2dò, fatebatur per media spiritualia à S. P. N. suppeditata passionis iræ, impatientiæ, superbiæ, &c. posse domari, habitus vitiosos, inclinationes naturæ ad furta, obscœna, &c. per eadem pariter posse coerceri, eo ipso enim, quòd ad peccata impellant, hominem DEUM timentem, & æternis veritatibus illuminatum statim excitari ad resistendum. Aliter autem se res habet (sic instruebat me idem) cum homine, qui melancholicis derepentè obruitur humoribus, & ob crassiorem sanguinem, defectum necessariæ ejusdem circulationis, constipationes, aliasque corporis infirmitates, innatam præterea pusillanimitatem, & vivaces rerum tetricarum phantasias, quas abigere à se non potest, tam atrâ involvitur nube, ut, quidquid videt ex rebus & personis aliàs sibi gratis, tædium ei, & aversionem ercet. Hic in talibus circumstantiis solvitur in lachrymas, sentit tremorem in membris, angustias in corde, &, quidcunque ei proponas, juvare se non potest per examen particulare, aliàque media: sed exspectare debet non secùs ac in febribus, donec paroxismo isto abscedente menti tranquillitas redeat. 3tiò, dicebat idem, sibi sæpiùs ex jam allatis causis contigisse, quòd, quando se optimè putabat esse dispositum ad negotium aliquod pro DEI gloria tractandum, hoc malo subitò correptus nequidem inchoatum potuerit continuare discursum, nec ad aliud, quàm ad Thebaicas su-

spirarit solitudines, uno verbo, durante hoc paroxismo ad nihil aptus fuerit.

His similibusque auditis & examinatis postulavi & reposui ego *primò*, non contendere me, ut, qui atrâ bile, melancholicisque abundat humoribus, defectus in circulatione sanguinis, constitutione corporis, & pusillanimitatem innatam patitur, vel diris ac vivacibus inquietatur phantasiis, naturam istam in omninò felicem ac pacatam mutet; utique enim ipse Deus fecit nos, & non ipsi nos.

2dò, Cùm his non obstantibus medicus pro constipatione, circulatione sanguinis emendanda, materia peccante, & horum simul malorum saltem ex parte causâ expurgandâ, præscribat media, ut sunt commotio corporis diurna, purgatio, venæ sectio, aliæque, me quoque jure postulare ab ejusmodi homine, ut terrâ animum involvente nube saltem non permittat instar desperabundi purè naturam, ratione innati temperamenti se moventem, prohibitu agere. Sed ut ad torporem excutiendum saltem se loco moveat, distractionem quærat, ulterius tetricis phantasiis morosè non inhæreat, & occupationem aliquam arripiendo saltem indirectè contranitur; sique aliud medium non invenit, è sede exiliendo, aërem liberum captando, mirabile & miserabile caput suum etiam, ut joco dici solet, pugnis impetatur.

3tiò, Dixi me, licet propriâ experienciâ infirmitates hominis admodum melancholici per-

spe-

spectas non habeam, scire tamen ex hominum ejusmodi confessione propria, quod experti sint, non ita arduum esse tertiâ quartâ vice animum ad serenitatem ac tranquillitatem reducere; si primis vicibus fortiter se vicerint, contrariumque ei, quod melancholicus dictabat genius, fecerint, quam si constanter sine ullo in contrarium nisu, & sub prætextu, quod naturæ motus superari non posset, eidem desides succumbere maluerint. Addidi, pariter fateri ejusmodi homines, quod, si primis annis habeant difficultatem *ut quatuor v. g.* manendi in consortio aliorum, hoc illud opus inchoatum continuandi, dum melancholici se movent humores, succedentibus annis sentiant in eo difficultatem *ut sex*, cum morbus sive mortalis, sive Physicus non adhibitis congruis remediis semper magis magisque invalescat. Atque inde inferebam, patere ergo sat superque, quod, etiamsi admodum difficile, aut quasi impossibile tibi esse videatur, ut æstu melancholico superveniente v. g. maneas in consortio, in quo fuisti, continues opus, quod ad DEI gloriam inchoasti, niti tamen in contrarium debeas: non ut physicè naturam mutes; sed ut paulatim major tuus ipse Dominus fias.

4to, Dixi eidem, eum fateri, quod passiones, inclinationes, quæ immediatè ad peccatum alliciunt, nunquam non reprimi debeant, & ab homine religioso, æternis veritatibus imbuto etiam facilius supprimantur ob vivacem illam apprehensionem, quod Deus offendi non

debeat. Subintuli, ergo etiam vivax apprehensio, quod vocatus à Deo sis ad vitam locialem, Apostolicum vitæ genus, & quod, nisi melancholicis inclinationibus tuis resistas, iisque contrarium facias, paulatim minùs & minùs, & tandem nullatenus aptus futurus sis ad munia Apostolica obeunda; item vivax apprehensio, quod Deus, à quo supponis te reapse ad Societatem vocatum esse, gratiâ suâ tibi defuturus non sit, dummodo tu contra naturam pugnando ei coopereris. Demum vivax apprehensio, quod, nisi id facias, gratias tibi ulteriores congruas ille fors substracturus sit, & tu variis peccatorum periculis exponendus sis; ejusmodi, inquam, vivax apprehensio te facile quoque incitare poterit ad fortiter resistendum melancholicis tuis inclinationibus, sicut reflexiones hæ, alium iræ, superbix, luxuriæ motibus fortiter tentatum incitare debent ad iis fortiter resistendum. Et reverà varii generis peccata sunt, ad quæ pusillanimitas & melancholia, cujus motus à te non posse opprimi cavillaris, planissimam sternit viam, ut tot, prò dolor! experientiis constat etiam in iis, qui, quia aversiones, rædia ex melancholicis humoribus provenientia superare noluerunt, suam petière à Societate dimissionem, vel ultrò tanquam inepti & sui capitis dimissi sunt.

510, Ut viam magis pararem ad systema, in quod utrimque conveniendum erat, dixi, me ab Hypochondriaco non exigere, ut semper æquè bene dispositus sit; nam corpus, quod cor-

rum

rumpitur, constipationibus, crasso sanguine, aliisque malis infestatur, utriusque *aggravat animam*; & quis est homo? qui æquè hilaris est, æquè semper aprus, dum mens serena est, & dum atrâ involvitur nube, aut diris torquetur phantasiis. Saltem de ista perfectione aut privilegio peculiari modo non ago. Interim suppono, quòd Hypochondriacus, cum quo modo ago, nec sit infessus, nec circumfessus à malo genio, non semi aut plenè stultus; sed libertatem habeat, ut gratiæ divinæ ad se vincendum cooperari possit, cum hoc, utpote bonæ voluntatis, non autem genii omninò pertinacis, conveni & convenio in systema sequens.

Primò, Gaudeant bene nati, qui nec ex avito sanguine, nec alio ex casu atrâ nimium bile infestantur, sed nihilominus bene confiderent, quàm severas Deo rationes dare debeant, si tam felicem sortiti indolem otiosi aut desides in vinea Domini excolenda fuerint. *2dò*, minus felicem sortiti indolem, & maximè melancholicis obruti humoribus difficultatem sæpè magnam habent se vincendi, adeoque & Apostolicum in hac naturæ lucta munus obeundi. Interim, quia de vocatione sua satis persuasi sunt, libertatem habent, & Dei gratiam; debent in generosos contra naturam ausus assurgere, media sive directa, sive indirecta nunquam non ad dissipandas, vel saltem extenuandas tetras nubes adhibere, nec cedere sive aversioni, sive inclinationi, quam melancholicus humor

F 5

inge-

ingerit, sed contraniti mox cum majore, mox cum minore difficultate. Certi, quod paulatim cum divina gratia magis & magis sui sint futuri Domini, eoque majores in æternum reportaturi coronas, quâ majori cum lucta eas comparârunt. A juvenilibus autem annis securis ad radicem ponenda est, ut sæpius dixi, tum, ne accrescentibus annis lucta semper fiat gravior, tum quia, sicut pulchrior est pulchro veniens de corpore virtus, ita ordinariè loquendo vegetior ex vegeto, quam effæto corpore fortioreque est operatio & pugna contra naturæ inclinationes. Hoc, dum juvenis eram, certus tunc temporis Superior meus moriens mihi aliisque junioribus adstantibus inculcavit, monitumque istud altè semper animo inhæsit meo, sicut & documentum istud, quod senex ædificationi futurus sit, qui in ipsa juvenia didicit modum ponere lætitiæ aut hilaritati honestæ, ita ut ordinem in domo religiosa præscriptum, quando à potu, confabulatione abstinendum, examen vespertinum faciendum, cubitum eundum est, non prætergrediatur, & pruriturum ad his contraria suppressat.

